

quitatis sanctitatem conciliantis, quò sc. eò festiviùs,
 citra invidiæ remoras ac sufflamina, pectoribus illa-
 bantur, minimè suspicabar. Ubi enim primas In-
 venti hujus lineas duxisset, easque mihi (quæ illius
 benevolentia adversus me) commonstrasset, illicò
 Thraces olim hâc calculandi ratione usos, & idcir-
 cò Aristoteli ut bardos stupidosque, immeritò ta-
 men, habitos subtexebat. Intuper & fructum com-
 modaque, quibus illecta gens ista ejusmodi nume-
 rorum instituto advevisset, exponebat. Inde me
 deludi facile patiebar, arbitrando singula isthæc ob-
 soleto cuidam Arithmetices Systemati subtracta
 tantum, & à situ vindicata, luci que restituta esse. Ast,
 ubi me falsum, & novum aliquod Viri hoc inven-
 tum, esse sensi, dum istud indies ex ingenio ejus vi-
 res capere, & altiùs surgere deprehendi, pro eâ, quâ
 gaudeo apud ipsum, libertate, rogavi tandem, ut quâ
 methodò mirificum hoc calculandi genus eruisset,
 aut quæ occasio eò invitasset, liberiùs explicaret. An-
 nuebat statim, & totam Inventionis historiam inge-
 nuè detexebat. Hanc quidem Tu ita accipe. Cùm
 Vir ingeniosissimus, & in hoc præcipue natus, ut
 difficultatibus, quibus tenera ætas in discendo suf-
 flaminatur, orbem evolvat, de quarumcunque re-
 rum, tum maximè numerorum, apprehensione ac
 doctrinâ expeditiori cogitaret, videretque omnem